

cabilitas actionum in substantiis unitis, et consequenter ex earum dissociatione nulla perit essentia, nullum suppositum, seu principium *quod* operationum. Hinc vestis v. gr. homini unitur *accidentaliter*, quia homo induendo vestem non induit novam naturam, nec naturam exuendo perdit.

Esse in loco circumscriptive. Aliquid est in alio, seu in loco, *circumscriptive*, quando est in ipso secundum commensurationem propriae quantitatis extensivae, quatenus nempe partes ejus correspondent partibus subjecti in quo est, et quod dicitur locus ejus. Esse in alio circumscriptive solis corporibus competit.

Esse in loco definitive. *Definitive* esse in alio, seu in loco, est quando aliquid ita est in uno loco, ut non sit in alio, quamvis a loco non circumscribatur. Sic anima mea est ita in corpore meo, ut neque sit, neque agat in alio corpore; est igitur *definitive* in corpore meo; non vero *circumscriptive*, quia simplex est et partibus quantitativis caret.

Esse in loco per virtutem. Aliquid dicitur esse in loco *per virtutem*, quia ibi agit quocumque modo; et si ibi explicat omnem agendi virtutem qua gaudet, dicitur ibi esse secundum totalitatem suae potentiae seu virtutis. Ita rex est in toto regno.

Esse in loco per essentiam. Dicitur aliquid hoc modo esse in loco, quando est ibi secundum suam essentiam vel substantiam physice acceptam. Ita ego secundum meam substantiam sum in loco in quo haec scribo.

Esse in loco per praesentiam. Esse in alio *per praesentiam* est habere locum illum in conspectu; sicut ego sum in omnibus partibus meae cellae, quia omnes in meo conspectu sunt positae.